Quelle: https://manuscripta.at/?ID=383
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

nomen dei. ut dicatur ecce quales sunt christiani. Ergo si prop-
terea iste tota die laudem dei dicit quia non cognovit
negotiationes. corrigant se christiani. non negotien-
tur. Sed ait mihi negotiator: Ecce ego affero quidem
ex longinquo merces ad ea loca in quibus non sunt ea
que adtulero. ut carius vendam quam emerim. Unde
enim vivam cum scriptum sit dignus est operarius mercede sua.
Sed agitur de mendacio. de periurio. hoc vitium meum est
non negotiationis. Neque enim si non vellem possem agere
sine isto vitio. Non ergo meam culpam auctor ad nego-
tium transfero. sed si mentior: ego mentior non negotium.
Possem enim dicere tanto emi. sed tanto vendam. Si
placet eme. Non enim istam veritatem audiens emp-
tor repelleretur: et non potius omnes accurrerent. Quia
plus fidem quam mercedem diligerent. Hoc ergo inquit me
mone ne mentiar: ne periurem. non ut habeam negotium
unde me transfigo. Quo enim vocas. quando hinc revo-
cas. Forte ad artem aliquam. Ero sutor: calciamenta fa-
ciam hominibus. mendaces enim et ipsi non sunt. periuri et ipsi non sunt.
Nonne locatis ab alio calciamentis cum acceperint ab
alio precium dimittunt quod faciebant et suscipiunt
alteri facere et fallunt eum cui promiserant cito se fac-
turos. Nonne sepe dicunt hodie facio. hodie
impleo. Deinde in ipsa sutura tantas fraudes non faci-
unt. Faciunt ista et dicunt ista. sed ipsi mali sunt. non
ars quam profitentur. Omnes ergo artifices mali deum non timen-
tes. vel lucri. vel pro timore dampni. aut egestatis men-
tiuntur periurant non est continua dei laus in eis. Quo-
modo ergo revocas a negotiatione. An ut sim agrico-
la. et adversus deum tonantem murmurem. ut gran-
dinem timens sortilegum consulam. ut queram quid faciam
contra celum. ut optem pauperibus famem quo possim vendere
quod servavi. Ad hoc me adducis. Sed non ea faciunt
inquis agricole boni. nec illa negotiatores boni.
Quid enim. Etiam filios habere malum est. quia quando eis caput
dolet. male et infideles matres ligaturas sacrile-
gas et incantationes querunt. Ista hominum non rerum
peccata sunt. Potest hoc mihi dicere negotiator: Quere ergo
episcope quemadmodum intelligas negotiationes quas
legisti in psalmo. ne forte tu non intelligas et me a
negotiatione prohibeas. Mone ergo quemadmodum
vivam. Si bene. bene mihi erit. Unum tamen scio. quia si malus
fuero non negotiatio mihi facit. sed iniquitas mea. Quando
verum dicitur: non est quod contradicatur. Queramus ergo quas di-
xerit negotiationes. quas utique qui non cognovit to-
ta die laudat deum. Negotiatio et in greca lingua
ab actu dicitur et in latina. Negotiatio sive ab ac-
tu. sive a negotio. discutiatur quid sit. Qui enim negotiato-
res actuosi quasi ex eo quod agunt presumunt opera
sua laudant. Non perveniunt ad gratiam dei. Ergo
contra illam gratiam sunt negotiatores. quam commendat hic
psalmus. Illa enim gratiam commendat ut nemo de su-
is operibus glorietur. Quomodo quodam loco dicitur medici non re-
suscitabunt. deserere debent homines medicinam.
Sed quid est hoc. Sub isto nomine intelliguntur super-
bi. pollicentes salutem hominibus cum domini sit salus.
Quomodo ergo contra medicos. id est superbos salutis pollici-
tatores. vigilat hoc quod dictum est tota die salu-
tem tuam. sic contra negotiatores. id est qui de actu suo
et operibus gaudent. vigilat quod dictum est os meum e-
nuntiabit iustitiam tuam id est non mea. Qui sunt nego-
tiatores id est quasi de actu suo sibi placentes. Qui
ignorantes dei iustitiam et suam volentes statuere iusti-
tie dei non sunt subiecti. Merito et negotium dictum est quod
negat otium. Quam mali est quod negat otium. Merito
dominus expulit de templo illos quibus dixit. Scriptum
est domus mea domus orationis vocabitur vos autem feci-
stis illam domum negotiationis. Id est gloriantes de
operibus vestris. otium non querentes. nec audientes con-
tra inquietudinem et negotiationem vestram dicentem
scripturam. Vacate et videte quoniam ego sum dominus. Quid est
vacate et videte quoniam ego sum dominus. nisi ut sciatis quia
deus est qui operatur in vobis. et non de vestris operibus extol-
lamini. Non audis vocem dicentis. venite ad me
omnes qui laboratis et onerati estis. et ego reficiam vos.
tollite iugum meum super vos. et discite a me quia
mitis sum et humilis corde. et invenietis requiem
animabus vestris. Hec requies contra negotiatores pre-
dicatur hec requies contra eos qui oderunt otium predicatur.
Agendo et iactando se de operibus suis. ut non requi-